

ligere etiam dicuntur, & profugere. Auditus cui hominū primo negatus est, huic & sermonis usus ablatu: nec sunt naturaliter surdi, ut non idem sint & muti. In marinis ostreis auditum esse, non est verisimile, sed ad sonum mergere se solent. Ideo & silentium in mari piscantibus.

Auditum & olfactū esse piscibus. CAP. LXX.

Pisces quidem, auditus nec membra habent nec foramina, audire tamē eos palā est: utpote cum planctu congregari ferros ad cibum consuetudine in quibusdam rimarijs spectetur: & in piscinis Cæsaris, genera piscium ad nomen venire, quosdam singulos. Itaque produntur etiam clarissime audire, mugil, lupus, salpa, chromis, & ideo in uado uiuere. Olfactus ijs esse manifeste patet. Quippe nō omnes eadem esca capiuntur, & prius quā appetant, odorantur. Quosdam & speluncis latentes, salsamento illitis faucibus scopuli, pisciator expellit, velut sui cadaueris agnitionem fugientes. Conueniuntq; ex alto etiam ad quosdam odores, ut sapiam ustam, & polypum, quae ideo conijciuntur in nassas. Sentinā quidam nauium odorem procul fugiunt, maxime tamen piscium sanguinem. Non potest petris auelli polypus: idem cunila admoda, ab odore protinus resilit. Purpurā quoq; fetidis capiuntur. Nam de reliquo animalium genere quis dubitet? Cornus ceruini odore serpentes fugantur, sed maxime styracis: Origani, aut calcis, aut sulphuris, formicā necantur. Culices acida petunt, ad dulcia non aduolant.

Tactum cōmunē esse omnibus. CAP. LXXI.

Tactus sensus omnibus est, etiam quibus nullus alius: nam & ostreis & terrestribus vermibus quoque. Existimauerim omnibus sensum & gustatus esse. Cur enim alios alia sapes appetunt? in quo vel praecipua naturae architectio. Alia dentibus praedantur, alia unguibus, alia rostri aduncitate carpunt, alia latitudine ruunt, alia acumine excavant, alia sugunt, alia lambunt, sorbent, mandunt, uorant. Nec minor uarietas in pedum ministerio, ut rapiant, distrahant, teneant, premant, pendeant, tellurem scabere non cessent.

Quae uenenis uiuant, & quae ter-
ra.

CAP. LXXII.

Venenis caprea et coturnices (ut diximus) pinguescunt, placidissima aëlia: at serpētes ouis, spectanda quidem draconū arte. Aut enim solida hauriunt, si iam fauces capiunt, quae deinde in semet cōuoluti frangunt intus, atque ita putamina^{*extusiuunt} excutiunt: aut si tenerior est & catuli adhuc aetas, orbe apprehensa spirae, ita sensim uehementerq; praestringunt, ut amputata parte ceu ferro, reliquam quae amplexu tenetur, sorbeant. Simili modo auibus deuoratis solidis, cōtentione plumas & ossa reuolunt. Scorpiones terra uiuunt. Serpētes, cum occasio est, uinum praecipue appetunt, cum alioquin exiguo indigeāt potu. Eadem minimo & pene nullo cibo, cum adseruan-

tur inclusa: sicuti aranei quoque alioqui suctu uiuentes. Ideo nullum interit fame aut siti uenenatū. Nam neque calor his, neque sanguis, neque sudor, quae auiditatem naturali sale augent. In quo genere omnia magis exitialia, si suum genus edere antequam noceant. Condit in thesauros maxillarum cibum sphingiorum et satyrorum genus: mox inde sensim ad mandendum manibus expromit. Et quod formicis in annum solenne est, his in dies uel horas.

10 Decibo & potu quorundam. CAP. LXXIII.

VNum aëlia digitos habentū herba alitur, lepus: sed & fruge solidipedes, & è bisulcis suis omni cibatu & radicibus. Silidipedū uoluntatio propria. Serratorum dentium carniora sunt oīa. Ursi & fruge, fronde, uindemia, pomis uiuunt & apibus, cancris etiam & formicis: Lupi, ut diximus, & terra in fame. Pecus potu pinguescit, ideo sal illis aptissimus: item ueterina, quanquam & fruge & herba: sed ut bibere secedunt. Ruminant, praeter iam dicta, syluestrium cerui, cum à nobis aluntur. Omnia autem iacencia potius quā stantia, & hyeme magis quā astate, septennis fere mensibus. Pontici quoque mures simili modo remandunt. In potu, quibus ferrati dentes, lambunt: Et mures hi uulgares quamuis ex alio genere sint. Quibus cōtinui dentes, sorbēt, ut equi, boues. Neutrum ursi, sed aquam quoq; morsu uorant. In Africa maior pars ferarum astate non bibunt, inopia imbriū: Quam ob causam capti mures Libyci, si biberint, moriuntur. Oxygen perpetuo^{*sitiētē} Africa generant, & natura loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia sitiētium. Naque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum saluberrimi liquoris uescicis. Incidunt in eadem Africa pardi condensa arborum, occultatiq; earum ramis, in praetereūtia desiliunt, atq; è uolucrum sede grassantur. Feles quidem quo silentio, q̄ leuibus uestigijs obrepunt auibus? quā occulto speculatu in musculos exiliunt? Excremēta sua effossa obruūt terra, intelligentes odorem illum indicem sui esse.

40 Quae inter se dissident, & quae inter se conueniant. CAP. LXXIII.

ERgo & alios quosdam sensus esse quā supra dictos, haud difficulter apparet. Sūt enim quaedam his bella amicitiaque, unde & affectus, praeter illa quae de quibusque eorum suis diximus locis. Dissident olores & aquila: Coruus & chlorio, noctu inuicem oīa exquirentes: simili modo coruus & miluus, illo praeripiente huic cibos: Cornices & noctua: Aquila & trochilus (si credimus) quoniam rex appellatur auium: Noctua & caetera minores aues. Rursus cum terrestribus mustela & cornix: Turtur & pyralis: Ichneumones vespa, & pbalangia aranei. Aquaticae, anates & gavia. Harpa & triorches accipiter. Sorices & ardeola, inuicem fetibus insidiantes. Aegithus auis minima cum asino. Spinētis enim se scabendi causa atterens, nidos eius dissipat

*sitiētē Africa generat, ex natura loco potu carente.